

EPISTULA LEONINA

LXII

PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
 QUOD ĒDITUR
 E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
 CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.com/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **G R A T I S** ET **S I N E ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. **SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.**

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-LXI INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

Index of leonina <http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM
SEXAGESIMAM SECUNDAM (62) !

LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS

SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.

Cara Lectrix, Care Lector,

valdē gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam sexagesimam secundam.

Septimanā proximā praeteritā epistolium accepi electronicum a Reverendo Lamberto Pigini perhumaniter scriptum. Qui vir reverendus Italianus sacerdos multorumque librorum atque libellorum editor prosperrimus, ex multis iam decenniis fervidus Latinitatis vivaे defensor, est quoque editor principalis Italiani periodici interretialis, c.t. CRONOS. Ecce <http://www.cronos.biz/>

Rev. Pigini pro suâ humanitate dignatus est relatiunculam de praemio physices Nobeliano scriptam et Latinē redditam (v. EL 60) publicare in periodico suo et addere versionem sermone suo patrio confectam. Paganis duabus sequentibus tibi proposui Rev. Lamberti epistulam mihi scriptam et verba ab eodem versioni suae praeposita. Utinam Latinitas viva haberet plures defensores tales, qualis est Rev. Lambertus !

Utinam quam plurimē placeat tibi lectio huius Epistulae Leoninae sexagesimae secundae.

Pancraticē vale et perge mihi favere!

Medullitus Te salutat

**Nicolaus Groß
LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae, d. Lunae, 28. m.Oct. a.2013

Gentilissimo e caro prof. Nicolaus Groß,

la sua epistula in latino sulla “particella di Dio” è stata un’idea bellissima a dimostrazione che la la lingua latina è viva più che mai.

Mi sono permesso effettuare la traduzione del suo scritto in italiano e con traduzione a latere, ho inviato il tutto ai miei amici dirigenti e imprenditori.

Avevo pensato di telefonarle per avere la sua autorizzazione, ma non avevo il suo numero di telefono. Ho pensato tuttavia che, essendo lo scopo il mio di, in certo senso, promuovere il latino lingua viva, ho proceduto, pensando che lei sarebbe stato favorevole.

La ringrazio vivamente e le faccio i miei più vivi rallegramenti per le opere meravigliose che lei porta avanti da una vita per la lingua latina.

don Lamberto Pignini

<http://www.cronos.biz/>

Gentili lettrici e lettori,

stavamo preparando un numero del nostro quindicinale on line Cronos, quando dalla Germania il latinista Nicolaus Groß, con nostra grande sorpresa, ci invia il suo testo in lingua latina sulla famosa “Particella di Dio”, che noi poi abbiamo tradotto in italiano.

Nicolaus Groß, sostenitore del latino lingua viva, e che dirige un periodico on line dal titolo Leo Latinus, con la sua lettera, qui sotto trascritta, vuole dimostrare che anche gli argomenti scientifici dei nostri tempi possono essere diffusi in latino.

Nicolaus Groß è talmente convinto che il latino sia ancora una lingua attuale e per questo ha anche istituito un'apposita cattedra a Seul, in Corea, ove lui stesso ha insegnato per circa 10 anni ed ha pubblicato un vocabolario latino/coreano.

Molti non sanno infatti che gli orientali, al fine di ben conoscere le lingue occidentali (inglese, francese, tedesco, spagnolo e italiano), studiano prima il latino che è lingua madre di quasi tutte le lingue europee.

I nostri lettori, molti dei quali provengono dagli studi classici, potranno con piacere rinverdire un po' il periodo dei loro studi liceali, ricordando quei tempi passati e le “sudate carte”.

Come Nicolaus Groß, anche tutti gli altri sostenitori del latino lingua viva, preferiscono scrivere in un latino facilmente comprensibile e lasciano lo stile ciceroniano solo per chi si occupa degli studi accademici.


Ma veniamo all'argomento del nostro attuale numero di Cronos.

Sappiamo che la particella di Dio era così chiamata perché i ricercatori da decenni sapevano della sua presenza nel microcosmo, senza tuttavia riuscire ad isolarla e identificarla nel suo pieno significato.

Proprio per questa grande difficoltà nella ricerca, era stata così nominata.

La scoperta pertanto di questo elemento, ricercato a lungo da diversi team di scienziati di tutte le università di fisica del mondo, ha giustamente premiato con il Nobel i due ricercatori che, per primi, lo avevano intuito e poi finalmente dimostrato alla comunità scientifica internazionale.

La Redazione



**ΜΙΚΡΟΝ ΑΠΟ ΤΟΥ ΗΛΙΟΥ ΜΕΤΑΣΤΗΘΙ
NUNC QUIDEM PAULULUM A SOLE**

**DIOGENES SINOPEUS
400-323 a.Chr.n.**

PLUTARCHUS, Alexander 14.
CICERO, Tusculanae disputationes 5,92.

Honestatio Osloensis: Non inveniri candidatum Praemii Pacis Nobeliani perfectum

Scripsit Fabian Reinbold, Latine reddidit Nicolaus Groß



Ecce caerimonia Praemii Pacis Nobeliani attribuendi a.2012 facta: Iterum iterumque vituperabantur decreta commissionis Osloensis. Num hoc honestamentum paeclarum non iam aptum est ad condiciones huius aetatis?

Num praemium pacis Nobelianum adhuc quadrat ad aetatem nostram? Post honoramenta annorum praeteritorum iterum iterumque addubitatur hoc praemium. At a.2013 sunt candidati attentione digni: Televisio Norvegiana praesentit fieri posse, ut praemientur inspectores armorum chemicorum.

Hammaburgo ex urbe - Europam suis tantum commodis inservire, cynismo deditam esse, hominibus esse inimicam. His diebus si agitur de Unione Europaeâ, talia verba fiunt. Normis ad limites hominesque profugos spectantibus, quae ab hac unione civitatum sunt decretae, effici

multas hominum passiones rebus prope *Lampedusam* factis non iam multi negant. Cum praeses commissionis visit hanc insulam Italianam, a civibus recipitur reclamantibus et macrocolla tollentibus, quibus inscriptum est verbum *homicidae*.

Talis his diebus consideratur Unio Europaea, quae ipsa anno proximo praeterito honestata est Praemio Pacis Nobeliano. Finge animo futurum fuisse, ut commissio Unionem Europaeam non anno 2012, sed autumno huius anni 2013 esset honestatura. Quod fingi non potest. An aliter sentis?

Praemium pacis Nobelianum est honestamentum totius mundi decorissimum, summus honor, qui laudari solet cum verborum magnificentiâ. Ergo postulatur, ut homines praemiati sint summâ morum integritate. Haec integritas praemiorum his annis praeteritis saepius est addubitata. *Baracus Obama* bellum gerit aeroplanis automaticis, *Ellen Johnson-Sirleaf*, mulier Liberiana, quae praemiata est a.2011 (num quis eam recordatur?) corruptionis accusari non desinit, et praemium pacis Unioni Europaeae attributum iam nonnullis minutis post in dubium vocatum est. Arbitri Osloenses dicuntur deficere et animo et sensu. Num praemium mundi gravissimum discrepat ab aetatis ingenio?

Quod praemium adhuc multorum animos ad se convertit. Brevi ante annuntiationem officialem Norvegiana statio emissoria NRK nuntiat verisimile esse praemium pacis Nobelianum hōc anno attributum iri Organizationi Arma Chemica Prohibendi (*OPCW = Organisation for the Prohibition of Chemical Weapons*). Cuius organizationis inspectores hōc tempore operantur in Syriâ.

At hic nuntius nondum est certus. Ex diebus iam diurnarii muginantur, quisnam hoc praemium accepturus sit. Die Veneris mundus conspiciet in urbem Osloam. Agetur enim de sede occupandâ, quae interest historiae heroibus, qui sunt *Martin Luther King*, *Mater Teresa*, *Nelson Mandela*. At ubi virtutes tam vehementer praedicatur, semper imminet virtutum dissimulatio.

Helmodum Kohl hoc praemium non esse accepturum

De praemio attribuendo decernunt quinque politici Norvegiani, qui in lustrum emittuntur a partibus suis secundum proportiones maioritatis in parlamento valentes. Hōc tempore eorum aetas media est sexaginta septem annorum. Idem utrum praemiant candidati merita atque morum integritatem an praemium dant in antecessum? Idem ipsi tacent. Aliquis autem, qui optimē hoc scire possit, telephonans primo altē respirat, antequam respondet. *Kristian (Christianus) Berg Harpviken*, director instituti pacis Norvegiani, quod appellatur „*Prio*“, praemii attributionem

ex annis accuratē observans: „*Difficile est.*“ Idem investigator pacis: „*Falsum est*“ inquit „*nihil facere nisi mandare, quod factum est in Obamā praemiando. Nec minus falsum est praemio nihil honestare nisi res iam effectas.*“ Itaque etiam non *Helmodum Kohl* praemiari, qui ex Germaniae readunatione iterum iterumque est nominatus. *Christianus Harpviken*: „*Necnon*“ inquit „*plus minusve oportet praemiandi moribus suis sint exemplaria.*“ Christianus putat commissionem hōc anno absterri a decreto dubio.

259 (ducenta undesexaginta) nomina praemiandorum proposita sunt a parlamentariis scientistisque totius orbis terrarum, sed in fine res decernetur ab illis quinque politicis Norwegianis. Voluntas autem fundatoris manet parum certa: *Alfredus Nobel* a.1859 constituit, ut is esset praemiandus, „*qui maximum aut optimum laborem exanclasset ad efficiendam fraternitatem nationum, ad exercitūs abolendos aut deminuendos et in conventibus pacis causā factis*“. Ergo alii aliter explicant, quid Alfredus senserit.

Magni viri politici veterani vix umquam praemiantur (ultimus eorum a.2008 Finnus *Martti Ahtisaari*), notio pacis mutatur. Activistae oecologici, deinde iurum muliebrium defenstrices respectae sunt. Et nunc? Christianus: „*Tempus est maturum*“ inquit „*ad diurnarios praemiandos*“.

Licetne praemium Nobelianum attribuere puellae sedenariae?

Christianus pacis investigator sentit praemium pacis esse aliquanto renovandum, de praemio attribuendo non sōlum esse decernendum ab illis quinque politicis, sed etiam ab activistis, commentatoribus – fortasse etiam ab ipsis non-Norwegianis? Pulchrum autem esse commissionem semper decernere modo inexpectato. Christianus ex annis sponionem facit de decreto commissionis, sed semper falso exspectat. Hōc anno Christianus et pignorum acceptatores exspectant praemiatum iri puellam Pakistanianam, cui nomen est *Malala Yousafzai*, quae telis talibanorum est violata. Honestamentum totius mundi summum – en quantum honorem, quantum onus puellae sedenariae attributum! Christianus annuit, sed etiam dicit: „*Haec puella si praemium acceperit, eodem ūti poterit per multos annos.*“

Unum autem ferē omnes praemiat referunt, qui minoris potestatis erant quam *Obama*: Praemio pacis Nobeliano sibi ipsis suoque incepto portas apertas esse ubique terrarum. Hoc dicit *Muhammad Yunus* oeconomus inventor *microcreditorum*, qui a.2006 est praemiatus, nec minus hoc dicit *Schirin Ebadi* Iraniana iurum muliebrium defenstrix a.2003 praemiata. Necnon *Aung San Suu Kyi* oppositionis Burmanae per longum tempus

ductrix iam a.1991 praemiata de custodiâ domesticâ qua per 15 annos tenebatur, dixit haec: "*Praemio Nobeliano deminuta est solitudo mea*".

Viginti uno anno demum post eidem *Suu Kyi* ipsi licuit praemium Osloâ in urbe accipere. Eadem mulier Burmana gratias agens: „*Pax absoluta*“ *inquit* „*non accipietur. Tamen oportet petatur.*“ Idem quoque valet in candidato inveniendo praemii, quod hôc nomine est magnifico. Hôc quoque anno non invenietur candidatus perfectus. Necnon potest fieri, ut is, qui quaerit heroes, spe decipiatur. At sic non solum fit de Praemio Pacis Nobeliano.

Hanc relationem d.11.m.Oct., a.2013 in Germanico periodico interretiali, c.t. est „*Spiegel online*“ editam e Theodisco sermone in Latinum convertit Nicolaus Groß praceptor Sedis interretialis domûisque editoriae, quae appellatur LEO LATINUS: <http://www.leolatinus.com/> Titulus originalis est: «*Ehrung in Oslo: Der perfekte Friedensnobelpreisträger*».

Honestatio Osloensis: Praemium Pacis Nobelianum a.2013 attribuitur Inspectoribus Armorum Chemicorum



Ecce inspectores ipsius OPCW operantes: Praemium Pacis Nobelianum hōc anno attribuitur Organizationi arma chemica prohibendi.

Commissio Norvegiana decrevit: Praemium Pacis Nobelianum a.2013 attribuitur Organizationi arma chemica prohibendi. Eius inspectores hōc tempore mandati sunt, ut destruant horrea gasorum venenatorum Syriaca.

Osloâ ex urbe – Praemium Pacis Nobelianum anni 2013 attribuitur Organizationi arma chemica prohibendi (OPCW). Hoc annuntiatum est a Commissione praemii Nobeliani Osloensi. Commissio decretum suum eo explicavit, quod organizatio honestaretur propter studia sua fortia arma chemica destruendi.

Huic organizationi mandatum est, ut conventionem armorum chemicorum a.1997 factam ad effectum adduceret. Eadem cognoscenda sunt civitatum conventionis participum depositoria eorumque destructio est custodienda.

Ipsa OPCW ex nonnullis demum septimanis respicitur a diurnariis totius orbis terrarum. Eius inspectores mense Octobri ineunte coeperunt destruere arma chemica regiminis Syriaci. Haec missio ipsius OPCW fit, postquam d.21.m.Aug. adhibitum est *sarinum* gasum venenosum in urbis Damasci vicis propinquis. Nationes Unitae nuntiant ibidem hōc gaso circiter mille quadringentos homines esse interfectos.

Ipsâ OPCW destructas esse 80% (octogenas partes) centesimas armorum chemicorum

Commissio Nobeliana declaravit operationibus Syriensibus apparere, quantum valerent ipsa OPCW et destructio omnium armorum chemicorum. Necnon eadem commissio vituperavit Civitates Unitas Russiamque, quod contra ac pactum esset, usque nunc nondum omnia arma sua chemica destruxissent.

Usque nunc Organizatio Chemica Arma Prohibendi complectitur 189 (centum undenonaginta) civitates particeps. Syria exspectatur die Lunae proximo civitas particeps factum iri centesima nonagesima. Ex anno 1997 plus 5000 (quinque milia) inspectiones in 86 (octoginta sex) terris perfectae sunt. Organizatio nuntiavit in his inspectionibus circiter 58.000 (duodesexaginta milia) tonnarum gasorum venenosorum, quae a civitatibus declarata essent, delecta esse, i.e. ferē 80% (octogenas centesimas partes).

Secretariatus huius organizationis, qui situs est Hagae Comitum (*Den Haag*), habet 490 (quadringentos nonaginta) ferē cooperatores, inter quos sunt 200 (ducenti) ferē inspectores. Cui secretariatui ex anno 2010 praepositus est *Ahmet Üzümcü* Turcus legatus.

Commissio Nobeliana verbis extulit organizationem praemium non accepisse propter eventū Syrienses, sed propter labores iam per longum tempus exanclatos.

"Disarmatio congruit cum optatis Alfredi Nobel"

Commissio causam praemiandi explicans: "*Inter bellum mundanum primum*" inquit „arma chemica magnopere sunt adhibita. Conventione Genavensi a.1925 prohibita est adhibitio armorum chemicorum, sed non eorundem fabricatio aut reconditio. Altero bello mundano talia arma adhibebantur ad Hitlerianum genocidium perficiendum. Arma chemica iterum iterumque adhibebantur a civitatibus et a tromocratis.”

Commissio Osloensis verbis extulit: "*Disarmatio congruit cum optatis Alfredi Nobel. Commissio Nobeliana praemiis numerosis attribuendis manifestavit arma nuclearia esse abolenda. Cum eadem commissio nunc praemium pacis Nobelianum tradit organizationi OPCW, conferre vult ad destruenda arma chemica.*"

Duabus septimanis ante iam attributum est alternativum praemium Nobelianum cuidam activistae, qui ex decenniis studet armis chemicis abolendis. *Paul Walker* politologus Americanus ex tempore, quo organizatio OPCW condita est, i.e. annis nonagenariis, artē cooperatur cum eādem. *Ole von Üexküll*, dispensator fundationis, quae appellatur *Right Livelihood Award*, laudavit, quod commissio Nobeliana excellentissimē decrevisset, quis esset praemiandus. Quo ex decreto apparere actionem multilateralem, qua mundus liberaretur ab armis chemicis, bene procedere.

Praemium pacis Nobelianum attribuitur ex anno 1901. Anno proximo praeterito hoc honestamentum acceptum erat ab Unione Europaeâ.

Pacis Praemium Nobelianum est unicum praemiorum Nobelianorum, quod non attribuitur Holmiā in urbe Sueticâ. Idem praemium complectitur circiter 920.000 (nogentos viginti milia) euronum. Praemium pacis Nobelianum Osloā in urbe sollemniter attribuitur d.10.m.Dec., i.e. die, quo obiit Alfredus Nobel.

Hanc relationem d.11.m.Oct., a.2013 in Germanico periodico interretiali, c.t. est „spiegel online“ editam e Theodisco sermone in Latinum convertit Nicolaus Groß praceptor Sedis interretialis domūisque editoriae, quae appellatur LEO LATINUS: <http://www.leolatinus.com/> Titulus originalis est: «*Ehrung in Oslo: Friedensnobelpreis 2013 geht an Chemiewaffen-Inspektoren*».

**Praemium Pacis Nobelianum ipsi OPCW attributum:
Honestamentum missionis huius mundi periculosissimae**

Scripsit Fabian Reinbold, Latine reddidit Nicolaus Groß



Ecce sedes ipsius OPCW Hagae Comitum sita: Die Veneris commissio Nobeliana Osloensis annuntiavit, quis electus esset praemiandus. Causam praemiandi explicans commissio dicit hanc organizationem fortiter studere destruendis armis multicidalibus. Hoc apparere etiam operationibus ipsius OPCW Syriensibus.

Praemium Pacis Nobelianum attribuitur ipsius OPCW inspectoribus armorum chemicorum; quo eorum missio etiam magis convertitur ad animos hominum totius orbis terrarum. Haec organizatio destruit depositoria gasorum venenosorum in Syriâ sita. Num huius labores honestamento fiunt faciliores?

Osloā ex urbe – Denuo commissio Nobeliana rem effecit inexpectatissimam: Praemium pacis Nobelianum anni 2013 attribuitur organizatio arma chemica prohibendi. Inspectores, qui hōc tempore in Syriâ operantur, vix ab ullo observatore crediti erant praemiatum iri. Pro

candidatâ maximae spei habita erat puella Pacistania, cui nomen est *Malala Yousafzai*. Hora ferê ante annuntiationem officialem diurnarii Norwegiani nuntiaverunt fortasse factum iri, ut OPCW praemium acciperet.

Cum explicaret, quare praemiata sit organizatio OPCW, praepositus commissionis Nobeliana originem repetivit a bello mundano primo, ex quo prohibitum esset, ne arma chemica adhiberentur. *Thorbjørn Jagland* autem dixit eventibus Syriensibus etiam manifestius esse labores contra haec arma pugnandi exanclandos esse augendos.



Ex anno 2010 Ahmet Üzümcü praeest ipsi OPCW. Praemium Pacis Nobelianum complectitur ferê 920.000 (nongentos viginti milia) euronum.

Num commissio ipsam OPCW bene elegit praemiandam? Quisnam illi organizationi praeest? Quid effici poterit hōc honestamento ad conflictum

Syriensem? En lege has quaestiones gravissimas earumque responsa sequentia.


Praemium Nobelianum hominibus armorum chemicorum peritis attributum: Magnus honor – missio periculosa

- **Quare praemiata est ipsa OPCW?** Quae praemium accipit pro "studiis universis arma chemica destruendi". Praepositus commissionis Nobeliana verbis extulit arma chemica e bello mundano primo plerorumque consensu esse reicienda, sed hunc consensum ultimo violatum esse in Syriâ. Praemiatio organizationis OPCW convenit cum ratione commissionis Nobeliana, cui insunt quinque politici Norwegiani. Idem ex nonnullis annis mâtunt vim habere ad crises et pacis processûs quam viros politicos veteranos cursu honorum finito honestare – itaque *Helmodus Kohl* iterum iterumque nominatus in hac re est spei expers. Praemiatio ipsius OPCW quadrat ad rationem commissionem generalem: Fieri poterit, ut OPCW in conflictu Syensi mitigando personam gerat maximi momenti.
- **Haec organizatio a quo dirigitur?** Organizatio Arma Chymica Prohibendi a.1997 est condita, ut Organizationis Unitarum Nationum (UNO) conventio ad arma chemica spectans ad effectum adduceret. Eadem OPCW non particeps est UNOnis, sed operatur eiusdem mandatu. OPCW non habet potestatem politicam propriam, sed tantum valet, quantum sibi permittitur a membris sui ipsius. Quae membra sunt 189 (centum undenonaginta) civitates, Syria membrum ipsius OPCW fieri vult die Lunae. Haec organizatio sedem habet Hagensem, unum ex viginti ferê laboratoriis ipsius OPCW est in Ericeto Lunaeburgensi (*Lüneburger Heide*) – quae spectat ad Germanicam militiam foederalem (*Bundeswehr*). Spatio sedecim annorum inspectores potuerunt destruere 58.000 (duodesexaginta milia) tonnarum, i.e. circiter octogenas partes centesimas quantitatum, quae nôtae sunt. Plerumque hoc fit seorsim a publico – OPCW, cuius director generalis, *Ahmet Üzümcü* Turcus legatus plus minusve ignotus, usque nunc inumbrabatur a magistratu energiae atomicae internationali. Haec condicio nunc mutata est.
- **Praemiatio quid valet ad ipsam OPCW?** Primo valet pecuniam. Praemium complectitur circiter 920.000 (nongenta viginti milia) euronum. Sed magis valet laus moralis, quae huic organizationi attribuitur. Praemium Pacis Nobelianum est honestamentum huius mundi amplissimum. Homines prius praemiati unâ voce referunt

huius honestamenti causâ incepta sua ubique terrarum grata et comprobata esse.

- **Commissio Nobeliana elegitne bene?** Saltim elegit more tradito. Nam disarmatio bene congruit cum cogitatis fundatoris *Alfredi Nobel*. His annis iurum muliebrium defenstrices activistaeque oecologici magis respiciebantur in candidatis eligendis – commissio autem multimodis vituperata est, praesertim *Baracco Obama* a.2009 et Unione Europaea praemiatis. Haec vituperatio cum commissionem Nobelianam non praeterierit, *Kristian Berg Harpviken*, pacis investigator huius praemii perbene peritus, iam praedixerat commissionem hôc anno absterritum iri, ne denuo praemiaret candidatum dubium. Quod attinet ad arma chemica abolenda, non est verisimile fore controversias.
- **Quid hoc honestamentum valet ad conflictum Syriensem?** Speratur praemio accepto fore, ut inspectores in Syriâ melius fungi possint munere suo difficili; praemio fieri posse, ut maiorem habeant auctoritatem. At: Inspectores non poterunt prohibere caedem in Syriâ cottidianam; maxima pars hominum, qui usque nunc ceciderunt, interfecta est armis non-chemicis. At etiam maximê cavendum est, ne arma chemica veniant in manûs tromocratarum – hoc si fieret, iisdem homines periclitarentur etiam ultra limites Syriae incolentes. Ut hoc impedian, inspectores oportet adiuventur quam maximê. Hac quidem ratione Osloenses arbitri haud male elegerunt.

**Tabula mundana: Pugna contra arma chemica ubi fiat.
Quae nationes Conventioni armorum chemicarum subscripserint.**



Hanc relationem d.11.m.Oct., a.2013 in Germanico periodico interretiali, c.t. est „spiegel online“ editam e Theodisco sermone in Latinum convertit Nicolaus Groß praceptor Sedis interretialis domūisque editoriae, quae appellatur LEO LATINUS: <http://www.leolatinus.com/> Titulus originalis est: «*Friedensnobelpreis für OPCW: Anerkennung für die gefährlichste Mission der Welt*».

DE RAPTORE
HOTREN PLOTRI

Fabula Casparuli

quam theodiscê narravit

Otfried Preußler

in Latinum convertit

Nikolaus Groß



Editio prima
in domo editoria, quae appellatur
LEO LATINUS

Hic liber habet 136 (centum triginta sex) paginas. Versioni fabulae completae adiunctum est glossarium abundantissimum, quod continet 24 (viginti quattuor) paginas. Liber constat 25 € (viginti quinque euronibus) et directê per epistulam electronicam mandari potest a domo editoriâ, quae appellatur LEO LATINUS: SPQR@LEOLATINUS.COM

De Raptore Hotzenplotzio

Hanc fabulam puerilem Theodiscê scripsit

Otfried Preußler

in Latinum convertit

Nikolaus Groß

„De Raptore Hotzenplotzio“ (titulus originalis: „*Der Räuber Hotzenplotz*“) est fabula puerilis Otfredi Preußler Germani auctoris. Haec fabula a. 1962 primum edita est.

Raptor Hotzenplotzius rapinationibus suis audacissimis territat homines totius regionis. Cum iste raptaverit etiam aviae machinulam cofeariam, Casparulus atque Iosephulus indignatissimi statuunt, ut raptorem capiant et tradant astyphylaci Dimpfelmösoro. Infeliciter ipsi raptori Hotzenplotzio contingit, ut ambos capiat. Sed quia iidem integumenta capitum inter se permutaverunt, ipsi a raptore inter se confunduntur; ita fit, ut Hotzenplotzius malo mago Petrosilio Zwackelmanno sub nomine Iosephuli vendat Casparulum pro uno tantum sacco tabaci sternutatorii.

Casparulus, cum aliquanto post in castello magico forte fortunâ inveniat fatam Amaryllidem, quae a mago in bombinam mutata est, non cessat illam adiuvare...

Haec fabula laureata, quae iocorum tam plena est tantamque habet exspectationem, ut animi puellarum puerorumque audientium legentiumve vehementer soleant inflammari, usque nunc in triginta quattuor (34) linguas translata erat. Ergo haec versio Latina, quam manibus tenes, cara Lectrix, care Lector, est translatio Hotzenplotzii tricesima quinta eademque Latina. Si Tibi placuerit, commendamus Tibi alias versiones Latinas fabularum modernarum, quae in domo Leonis Latini editae sunt, e.g. “Recitatem” Bernhardi Schlink (orig. “*Der Vorleser*”) necnon “Fragrantiam” Patricii Süskind (orig. “*Das Parfum*”) fabulas theodiscas veste Latinâ indutas.

Ergo visas, quaesumus, domûs Leonis Latini editoriae situm interretiale: www.leolatinus.com




Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz

© 1962 by Thienemann Verlag (Thienemann Verlag GmbH)
Stuttgart/Wien, www.thienemann.de

Editio Latina:
Copyright © 2013 by LEO LATINUS
spqr@leolatinus.com
ISBN 978-3-938905-33-34

d.14. m.Oct. a.2013

Praemium oeconomiae Nobelianum attribui tribus investigatoribus US-Americanis



2013

Lars Peter Hansen et Eugene Fama, qui docent in Universitate Chicagonensi, necnon Robertus Shiller, qui docet in Universitate Yale, hōc anno accipiunt honestamentum, quod investigaverunt, quomodo procederent pretia investmentorum. Hi tres viri sic continuaverunt seriem praemiorum US-Americanorum.

Denuo praemium oeconomiae Nobelianum attributum est tribus scientistis US-Americanis. *Eugene F. Fama et Lars Peter Hansen et Robert J. Shiller* ab Academiâ Sueticâ praemati sunt, quod studuerant evaluationi investmentorum diutius faciendae.

Holmiâ ex urbe – Hōc anno praemium oeconomiae Nobelianum attribuitur tribus scientistis US-Americanis: Qui sunt *Lars Peter Hansen et Eugene Fama* Universitatis Chicagonensis oeconomi necnon *Robert Shiller* oeconomus Universitatis Yale excellentissimae. Regia Academia Suetica Holmiensis die Lunae annuntiavit eosdem oeconomos hoc

honestamentum accipere, quod investigavissent, quomodo procederent pretia investimentorum.

Arbitri Holmienses: "*Fieri non potest*" inquunt „*ut praedicantur pretia actiarum et versurarum in dies proximas aut septimanas*“. At fieri posse, ut praedicatur horum pretiorum inclinatio crassa in spatia temporis longiora, velut in tres vel quinque annos. "*Hoc invenerunt viri laureati.*"

Processûs pretii investimentorum habetur pro clave, qua usi homines decernant de pecuniâ parcendâ aut de domo emendâ aut de politicâ ratione oeconomicâ. Academia Nobeliana: "*Si investimenta*" inquit „*falso evaluantur, fieri potest, ut discrimin pecuniarium augeatur et, ut appareat e recessione globali recentissimâ, detrimentum capiat oeconomia populi.*“

Robertum Shiller praemio annuntiato stupefactum esse

Robertus Shiller – a quo inventus est *index Case-Shillerianus*, quem indicat *manager magazin online* – dixit se praemio huius anni attributo stupefactum esse. Idem US-oeconomus inter conferentiam diurnariam telephonice annexus: "Non potui" inquit „credere, aliter nescio hoc dicere".

Praemium oeconomiae Nobelianum ex 1969 demum anno attribuitur; quod complectitur octo miliones coronarum Sueticarum, i.e. circiter 920.000 (nongenta viginti milia) euronum. Idem praemium fundatur ab argentariâ Regni Suetici, ut respiciatur quaestionum oeconomicarum gravitas crescens.

Hoc praemium in dubium vocatum est cum aliis tum eâ de causâ, quod usque nunc maximâ ex parte honestati sunt investigatores US-Americani. Ex anno 1969, quo primo hoc praemium attributum est, semel tantum factum est, ut Germanus scientista – *Reinhardus Selten* theoreticus lusorius anno 1994 – acciperet praemium oeconomicum.

Hanc relationem d.14.m.Oct., a.2013 in Germanico periodico interretiali, c.t. est „*manager magazin online*“ editam e Theodisco sermone in Latinum convertit Nicolaus Groß praeceptor Sedis interretialis domûisque editoriae, quae appellatur LEO LATINUS: <http://www.leolatinus.com/> Titulus originalis est: «*Wirtschaftsnobelpreis geht an drei US-Forscher*».

Honestamentum: Prophetas bursarios accipere praemium oeconomiae Nobelianum

Praemium oeconomiae Nobelianum anni 2013 attribuitur US-investigatoribus *Eugenio Fama* et *Larsio Petro Hansen* et *Roberto Shiller*. Eodem praemio Academia Scientiarum Regio-Suetica praemiat illorum virorum doctorum analyses empiricas, quibus investigaverunt cursus actiarum.

Holmiâ ex urbe – Hoc est honestamentum oeconomorum summum: Praemium oeconomiae Nobelianum hōc anno attribuitur investigatoribus US-Americanis *Eugenio Fama* et *Larsio Petro Hansen* Universitatis Chicagonensis viris doctis necnon *Roberto Shiller* Universitatis Yale excellentissimae viro docto. Hōc die Lunae Holmia in urbe annuntiatum est ab Academiâ Scientiarum Regio-Sueticâ. Hos tres viros doctos honestari propter analyses empiricas cursuum actiarum.

Robertus Shiller pluribus hominibus innotuit libro suo, c.t. „Euphoria irrationalis“ (orig. „Irrational exuberance“, ed. a.2000), in quo auctor monuit, ut evitandae essent exaggerationes Oeconomiae Novae nimis confidenter laudatas. Item Robertus maturē praedixit in mercatu immobilium US-Americano exortum iri *bullam speculativam*, qua postremo efficeretur crisis pecuniaria mundana. Idem oeconomus Yaleanus in claritudinem pervenit invento indice americanorum immobilium omnium gravissimo, qui appellatur *index Case-Shillerianus*, necnon dictus est propheta *buluae Dotcomianaे*.

Non solis his de causis ex nonnullis iam annis Robertus habebatur pro candidato dignissimo – tamen idem die Lunae dixit se esse stupefactum. Idem US-oeconomus inter conferentiam diurnariam telephonice annexus: "Non potui" inquit „credere, aliter nescio hoc dicere".

Robertus loqui pergens: "Meā interest investigare milionem rerum diversarum. Coepi res tractare oeconomicas, quia credo oeconomiam spectare ad res graves. Eadem multimodis valet ad actiones hominum." Scientiam rei pecuniariae utilem esse ad societatem et conducere posse ad salutem hominum communem augendam. Robertus: "Re pecuniariā" inquit „societas moderna gubernatur. Licet hoc nonnullis hominibus videatur mirum, sed est absolutē verum."




Provincia investigatoria *Roberti Shiller* sunt mercatūs pecuniarii. Sed idem oeconomus Yaleanus a.1946 *Detroit* in urbe natus etiam in claritudinem pervenit invento indice immobilium Americano omnium gravissimo necnon propheta bullae Dotcomianae. A.2013 unā cum *Larsio Petro Hansen* et *Eugenio Fama* accepit praemium oeconomiae Nobelianum pro analysibus empiricis cursuum actiarum.

A.2009 Robertus unā cum *Georgio Akerlof* (qui quoque est honestatus praemio oeconomiae Nobeliano) librum publicavit, c.t. „*Animal Spirit*“; in eodem auctores vituperant imaginem *hominis economici* ab oeconomis plerumque comprobata, qua homo consideratur ens rigore rationali praeditum.

Martin Weber, professor Manhemensis oeconomiae pecuniariae et argentariae oeconomiae administrativae, et *Robertum Shillerum* et *Robertum Famam* novit. Martinus diurnariis ipsius SPIEGEL ONLINE utrumque maximopere meritum esse praemium Nobelianum affirmans et

ridens: "Apud Famam" inquit „cum essem humilis postdoctorandus, aliquando coepi cursum participare, sed mox destiti, quia hic cursus mihi visus est nimis difficilis". Famam, qui per multos annos semper semestria hiemalia degisset Angelopoli in Universitate Californiae, libenter gloriatum esse verbis efferentem, quantum temporis ipse degeret in campo teniludii et in unditabulâ. Patet eius operas scientificas his oblectationibus otiosis nullum detrimentum cepisse.



Eugene F. Fama oeconomus US-Americanus a.1939 natus, docet in Universitate Chicagonensi in Americae Civitate foederali Illinois. *Fama* investigationibus suis demonstravit actiarum cursûs non posse praedici, sed subiectos esse motibus fortuitis.

Praemium oeconomiae Nobelianum complectitur 1,1 (*unus – virgulus – unus*) millones euronum (i.e. decem millones coronarum Sueticarum). Quod praemium Nobelianum ultimo loco attribuitur – sed sensu stricto idem praemium non est Nobelianum. Nam non fundatum est testamento Sueti *Alfredi Nobel*, sed a.1968 in memoriam Alfredi Nobel constitutum est ab Argentariâ Regni Suetici.



Lars Peter Hansen oeconomus US-Americanus, sicut etiam eius collega *Eugene Fama*, docet in Universitate Chicagonianâ, in Civitate foederali *Illinois*. Ìdem tractat analysis cursuum actiarum et natus est a.1952 in civitate *Illinois*.

Inter scientistas usque nunc praemiatos una tantum fuit mulier. Ultimus praemiatus Germanus a.1994 fuit *Reinhard Selten* Bonnensis theoreticus lusorius. Ex eo tempore Academia scientiarum Holmiensis plerumque honestavit US-oeconomos, sicut hōc quoque anno. Anno

proximo praeterito investigatores US-Americani *Alvin Roth* et *Lloyd Shapley* honestati sunt, quia investigaverant, quomodo oblatum et quaesitum quam optimè inter se concinnarent.

Praemia Nobeliana tradentur d.10. m.Dec., quo obiit *Alfredus Nobel* fundator.

Hanc relationem d.14.m.Oct., a.2013 in Germanico periodico interretiali, c.t. est „spiegel online“ editam e Theodisco sermone in Latinum convertit Nicolaus Groß praceptor Sedis interretialis domūisque editoriae, quae appellatur LEO LATINUS: <http://www.leolatinus.com/> Titulus originalis est: «*Auszeichnung: Börsenpropheten erhalten Wirtschaftsnobelpreis*».



Recitator

Fabula romanica
quam theodiscē scripsit
Bernhard Schlink

in Latinum convertit
Nikolaus Groß



Editio prima
in domo editoriâ, quae appellatur
LEO LATINUS

Senden in oppido Bavariæ Suebicæ
a. 2012

Hic liber habet 291 (ducentas nonaginta unam) paginas. Versioni fabulae completae adiunctum est glossarium abundantissimum, quod continet 91 (nonaginta unam) paginas. Liber constat 45 € (quadraginta quinque euronibus) et directē per epistulam electronicam mandari potest a domo editoriâ, quae appellatur LEO LATINUS: SPQR@LEOLATINUS.COM
Libri numerus internationalis est ISBN 978-3-938905-32-6. TOLLE LEGE

**HANC EPISTULAM LEONINAM
SEXAGESIMAM SECUNDAM**

EL 62

SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE COMPOSUIT

d. Lunae, 28.m. Oct. a.2013

Nicolaus Groß

LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.com/>